DISSERTA

INAU

CONTEXT

HUMANI

(2.)

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

CONTEXTU GENERIS

HUMANI CUTANEO.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
CONTEXTU GENERIS HUMANI CUTANEO:

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

HENRICUS RYLEY,

ANGLUS.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES MOIR.

MDCCCXXIII.

GEORGIO WALLIS, M. D.

(E COLL. EMM. CANTAB.)

TESTIMONIUM ANIMI

OB BENEFICIA SAEPE COLLATA GRATI,

HOC OPUSCULUM OFFERT,

AUCTOR.

GEORGIO MACDONALD,

COLLEGII REGII CHIRURGICI LOND.

SOCIO,

HUNC LIBELLUM INAUGURALEM

CONSECRAT

HENRICUS RYLEY.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

CONTEXTU GENERIS

HUMANI CUTANEO.

AUCTORE HENRICO RYLEY.

ANIMALIA omnia membranâ plerumque pro corporum magnitudine magis minusve crassa teguntur: quippe quae et organa subjacentia defendat et magnam nutritionis aeque ac concoctionis partem residuam secernat, ac naturam rerum externarum indicet. Haec membrana cutis appellata ex partibus duabus, nempe contextu dermoideo, et epidermoideo, constat.

DE CONTEXTU DERMOIDEO.

Contextus Dermoideus corpori, quod ab omni parte obtegit, respondet. Ejusdem inaequalitates praecipuas, majoribus magis conspicuis redditis, minoribus autem celatis, sequitur. Sese passim extendit, atque corporis penetralia interna diversa iniens, systemati mucoso originem praebens reflectitur. Musculorum contractio subjacentium, plurimas ejusdem duplicationes corrugationesque efficit, quae, vultu in Humano praecipue, animi affectus indicant. Cutis ab Anatomicis, et in chorium vel chorion, et corpus mucosum, corpusque papulare fere dividitur. Chorion pars prima cutanea videtur atque in crassitudine pro rata parte variat. In facie enim et tenue et delicatum invenitur ; in pericranio autem et crassum et compressum. Pars trunci posterior duplo quam anterior est crassior, sed eandem crassitudinem, manibus exceptis, omnibus partibus superioribus obtinet. In inferioribus

autem, tum femoribus tum cruribus, qua vi majore musculari gaudent, valdè, in pedum autem plantis maximè augetur. Fibras lucentes aponeuroticas, transversim, omnes in partes ineuntes; alias ad telam cellulosam subcutaneam tendentes, alias autem haud paucas evanescentes, areolasque inter sese relinquentes nostrum est videre. Cutis vera hocce ex opere reticuloso constat.

Chorion, aliarum corporis autem partium fibris conspicuis minimè gaudet; iisque ad ceteras corporis partes conjungentibus caret, atque exinde fit et laxius et flexibilius. Superficies ejus interna minus quam externa adhaeret. Areolae maceratione factâ in superficiem externam in obliquum aperientes, atque truncis plurimis repletae, vias pro capillis vasisque facientes sint observandae. BICHAT telam ariolarem chorion facientem contextu fibroso esse similem videtur. Officia ejus ac ea rei fibrosae eandem, inertem esse demonstrant. Nam et in corpore defendendo, periculisque arcendis versatur. Opinionem autem, tum morbis, tum sentiendi facultate ritè perpensis

pro nihilo habeamus oportet. Supra chorion, nulla re intercedente, ponitur corpus mucosum vel reticulare de quo apud auctores minime convenit. In hominibus albo colore praeditis, a HALLERO, CAMPERO BLUMENBACHIOQUE reverà negatur existere. CHAUSSIER autem, cutem duabus ex partibus nempe cute vera et Epidermide constare, placuit docere. A BLUMENBACHIO autem longè aliter sentitur. Se judice corpus mucosum, re colorante genera hominum diversa indicante gaudens inter superficiem chorii externam, tegmenque ejusdem semipellucidum ponitur. Ei hocce, nullis colore albido praeditis, Albino excepto, cujus vultus propter ejusdem inopiam nisi mens eum fallit singularis fit, deesse suadetur. Animus ejus ex GUALTERI observationibus de Æthiopis cute, nec non ex iis DUTROCHET de tela Quadrupedum cutanea ita inferre fuit impulsus. Corpus nigri mucosum, GUALTERO monente, quatuor de partibus constat. 1mo, De fasciculis vascularibus a se "*Bourgeons Sanguins*" appellatis quae vasorum terminationes in papillas procul dubio reverà sunt. 2do,

De tunica albida profunda seu "*Couche albide profonde*" ex vasis per tunicam albam inter chorii superficiem, lineamque nigram undulantem, sectione nigri in obliquum cutanea factâ, constante; 3tio, De re colorante pura lineam suprà dictam faciente. 4to, De tunica albida superficiali seu "*Couche albide superficielle*" structurae tunicae albidae profundae simili; atque inter lineam nigram undulantem et Epidermidem posita. Quum harum partium prima, scilicet tumuli vasculares "*Bourgeons sanguins*," ad corpus mucosum minime pertineant, sed vasorum terminationes in papillas sparsae et quae corpus papillare antea nominabantur, habendae sunt, DUTROCHET classificationem praeponere fas est. 1mo, Cutis se auctore de Dermate chorio seu cute vera constat; 2do, De papillis seu eminentiis hujusce membranae minimis; 3tio, De tunica papillarum epidermoidale, vel GUALTERI "*Couche albide profonde.*" 4to, De Tunica colorante; 5to, De Tunica albida cornea, "couche albide superficielle" GUALTERI; et, 6to, "De Epidermide." De natura, constitutione aeque ac rei colorantis origine apud

auctores minime convenit. A GUALTERO e pilorum bulbis affirmatur esse secretio, sed opinio ejus quia plurimis in locis, ubi desunt pili, res colorans haud dubie existit inanis redditur. Sententia autem BECLARD procul dubio est veri similior. Se judice tum secretione tum absorptione semper laborat, atque similitudine rei colorantis in sanguine gaudet. Animus ejus ex observationibus tum de Foetu, tum de infantibus tum de ejus renascentia, vesicatoriis adhibitis, factis, ita censere fertur.

Color cutaneus in hominibus albis multis de rebus, sicut morbis, lucisque radiis, et vice versa, adventitiis pendet plurimum. In cute autem colores a re Anglice *Tattooing* appellata tincti, in chorio sedem stabilem atque fixam habent; et per omnem vitam, tum Epidermide, tum corpore mucoso per macerationem perditis manent, atque nostris judiciis, de corporis mutationibus perpetuis vix ac ne vix quidem conveniunt. Fasciculi vasculares, sive "*Bourgeons sanguins*" revera sunt papillae, atque chorii partem cujus superficiem externam occupant, faciunt: sed corporis mucosi minimè.

Ordo eorum attentionem summam haud dubie sibi vindicat. Eminentiae, strias irregulares utrinque sulcatas, facientes apparent. Hae striae iterum separantur, et singula fastigia in duas eminentias secundarias dividuntur. Haec structura in manibus quam in ceteris corporis partibus apparet, atque in muneribus diversis gerendis, res per tactum sentiendo externas prae omnibus est idonea. Papillae, ni fallor, structurâ pene vasculari tenentur atque munerum suorum similitudo cum linguae muneribus, Anatomicis eas structurâ et nervoso et erectili praeditas esse, ac terminationes omnium cutis nervorum in quam disperguntur et quae tegmina sua externa amittunt, persuasit. Sed litem rebus ita sese habentibus haud nostrum est componere. Sensilitatem Chorion suam acutam de superficie externa papillas habente in quas aeque ac in corpus mucosum eruptiones pleraeque cutaneae imperium tenent. Superficies chorii Igne in sacro tantum rubescit. Hinc color, sanguinem in vasa profunda fugientem leniter premendo amittitur. Haec membrana, tum in Rubeola tum Scarla-

tina, tum Variola, inflammatione superficiali, tantum laborat. Nec ullis morbis chorion ipsum est obnoxium; nihilominus morbi chronici, sicuti Elephantiasis chronica, idem mutare plurimum pollent. Serositas subcutanea, Anasarcâ diu manente, telam contextus dermoidei cellulosam penetrat, fibras ejusdem separat, usque ad Epidermidem, per quam saepe emittitur effunditurque, pervenit. Forsan, ait BICHAT, sese ad superficiem corii externam infra Epidermidem minime extendit tela cellulosa. Nam granulationes, eo tegmine remoto, quanquam ubi loci tela cellulosa existat renascuntur nunquam vigescunt. Arteriae telam cellulosam percurrentes, ramos plurimos qui corii areolas inientes in omni hujus organi parte conjungunt praebent. Demum per superficiei externae spiramenta pergunt ut rete faciant capillare. In areolis permeandis rami paucissimi in fibras corii terminantes apparent. Quum venae cutem e regione permeant, truncos magnos subcutaneos ineunt, atque per integumenta pluribus in partibus visu sunt faciles. Ramificationes areolarum venosae, viribus in-

tegris, vix ac ne vix quidem observari possint, sed morbis impetum facientibus nobis ante saepissime versantur. In Carcinomate plurimum augentur, atque lineis caeruleis serpentibus hoc morbo impetum faciente, notatur cutis. Phenomena eadem sese cute gradatim extensâ ceu in graviditate, aneurismate &c. semper ostendunt: morbis autem acutis minimè. Rami nervorum et complures et magni systetema quoddam subcutaneum faciunt; et filamenta, quae cursum per choreum dirigunt et forsan in papillis sese perdunt, emittunt. Manus, quibus papillae maximè frequentes existunt et quibus tactus est longe acutissimus nervis abundant potissimum. Plurima vasa, absorbentia venas circumeuntia sub cutem existunt. Aponeuroses exindè ac membrorum cutis tunica horum vasorum continuâ separari videntur. Neque dubitetur quin plurima horum absorbentium e corio originem capiunt, atque ex ejus areolis in sanguinem, tum adipem tum lympham cellulosam referunt. Estne series vasorum quaedam in Epidermidem

aperientium, causa e corporis partibus externis absorbendi posita? Haec res ab anatomicis pro certo minime comperta adhuc sub judice est.

Nemini cutem et inhalare et exhalare diutissime latet. Quanquam minus a corpore absorberi quam emitti, nihilominus absorptionem rebus extrinsecus venientibus et corporis conditionibus sese accommodantem aliquando perspirationem aequare ne quidem excedere passim persuadetur. Hinc autem opinioni fortissime resistunt hodierni philosophi. Res acres corpori adhibitae ad absorptionem cutaneam stabiliendam, ni fallor, plurimum pollent. CURRIE autem rem absorptam per Epidermidem vi mechanica abigi videtur. Sin autem Epidermis integra maneret tegmina vasorum rerum acrium adhibitarum primum irritationi, deinde erosioni sunt praedae. Haec autem explicatio, ni fallor, victoriam minime portat et difficultes minime removet. HALLERUS, multis experimentis ritè et peritissimè factis absorptioni cutaneae favebat; atque cor-

pus pondere, balneo tepido, auctum esse credebat. A Doctoribus Currie Gerard, et Pearson corpori nec ponderis incrementum, nec ejusdem diminutionem esse inter immersionem compertum est. Exemplum Oesophagi constricti a Currie, absorptioni cutaniae maxime repugnat, traditum. Nam aeger balneo in tepido pondere nunquam auxit. Nihilominus ponderis defectio in aëre in perpetuum facta impediebatur. Aeger tunc temporis vinculis expeditus vigenti libras per diem solidam perspiratione emittebat. Exemplum sub Cruickshanks conspectum etiam veniebat. Absorptionem cutaneam eadem phenomena minime explicare a Fautoribus Inhalationis quoque affirmatur, atque hocce munus cuti abnegatum ab iisdem pulmonibus confertur. Seguin pericula plurima per Muriatem Hydrargyri in aegros syphilitide laborantes externè adhibitam, sed epidermide integra manente symptomata nunquam evenerunt feliciter. Neque dubitandum est quin una terebinthinae olei inhalatio plena odorem urinae

communicare satis superque est. Ab experimentis a Seguin aliisque rite factis pro certo habebatur, cutanea absorptio. Sed res eadem summa cum cura a Doctore Rousseau de Philadelphia repetitae longè evenerunt aliter. Terebinthinae vaporibus corpus suum per tubum aëre externo communicantem, sed aëre cubiculi exclusum spirans obtulit; atque urina nil mutabatur. Easdem res et moscho, et alia et Camphora repetivit atque eodem rediit semper. Rebus ita sese habentibus nil certi quoad absorptionis dotes cutaneae affirmare licet. Res adhuc in caligine versatur, atque ut lis ritè et solerter derimeretur rem arctè est opus indagare. Vasa exhalantia e capillaribus corio exterioribus originem ducunt; et omnibus tum de naturâ, tum de cursu, tum de forma, hodiernis etiam temporibus latet. Eadem autem revera existere phenomena tum perspirationis tum injectionum anatomicarum nos certiores faciunt. Partibus autem in aliis magis abundant quam in aliis. Experimenta excretionem perpetuam

e cute alio emittendam vix ac ne vix quidem nostris sensibus percipiendam atque exinde perspirationem insensilem appellatam demonstrant: alio autem rebus peculiaribus gaudentem sudoris nomen obtinere. Perspiratio autem ritè moderata ante oculos sit posita. Perspiratio in moderando corporis calore haud dubie plurimum pollet. Nec dubitandum est, quin sudor a perspiratione insensili gradu tantum differt. Calor quippe qui actionem cordis accelerat, sudandi est causa frequentissima. Sed gradus quo sudor fluere incipit haud certe sit nominandus. Conditio autem renum et cutis hac de re penitus est diversa. Quod attinet exhalationem pulmonarem, tum de rebus ejus peculiaribus, tum de ejus affinitate cum perspiratione cutanea parum cognoscitur. Sed a morbis concludere fas est ut in sese invicem plurimum pollent. Plurimus labor, et computationibus et experimentis, tum ad sudoris naturam cognoscendam tum ad ejusdem quantitatem indagandam fuit susceptus; sed labor, conclusionibus tantum

discrepantibus, pene inutilis redditur. Scriptores alii de gasis absorbendis dixere, alii autem, cutem evaporationem pulmonali similem emittere affirmant. Sed nemini, his muneribus diversis revera gestis, fidem nullam certam obtinendam esse latet. Nam nec gasas ab aëre atmospherico corpus amplectente, nec functionis alterius fructum, a fructu alterius secernere est nostrum. Res etiam oleagina totum corpus invadens et omnibus in rebus sese ostendens, glandulas sebaceas revera existere, multos philosophos credere induxit: Sed ob exiguitatem suam minimam ante oculos vix ac ne vix quidem sint positae. Exempla autem fluidi ossium medullaris, nec non adeps, tela in cellulosa; vasis exhalantibus eadem faciendi facultatem esse nos certiores faciunt. Iis glandulis contextus, mucosis, ni fallor, est similis. Sentiendi facultas animalis appellata, hac in tela quam aliis acutior, tactui a quo plerumque differt praeest. Sensus generalis a Gallis "Tact" nominatus, impressiones a rebus externis accipiendi est facultas. Haec

res, rei Anglice "Feeling" nomine cognitae simillima videtur. Per totum corpus pervagatur, ac de contextu quodam haud dubie pendet. Nam quanquam nec oculus lucem, nec auris sonum sentire potest, nihilominus utrisque, et existentiam et rerum adhibitarum cognoscendi est facultas. Sensum Tactûs artem naturam rerum externarum et accuratiùs et arctiùs cognoscendi definire fas est. Atque in hoc munere gerendo digitis extremis praecipue utimur, quippe qui et nervorum magnitudine, et papillarum numero sunt praediti. Res autem externae Epidermide remotâ dolorem excitant, atque nos de rerum natura minimè admonent. Epidermide, crassitudine praeter naturam aucta, ut fit laboriosis parum sentitur. Tactus sensus morbidis conditionibus procul dubio est proclivis, nam in Hypochondriasi aurae lenissimae nonnunquam maximè laedunt. Facultas sentiendi, in papillis florere, quae integumentorum partes ad vitam animalem solùm, ut corpus reticulare vel mucosum ad vitam organicam pertinet videtur.

Nimia sentiendi facultas a fortioribus impressionibus defendenda est, atque ei Epidermis opportunè auxilio venit. Ea enim remotâ Zephyri secundi dolent, atque sensum Anglice Feeling qui hunc contextum unice attinet, provocant. Ad eandem partem et *pruritum* et tactum procul dubio referre fas est. Nullo forsan in contextu quam cutaneo *consensus* saepius, longius latiusque vagantur. Balneum tepidum ita concoctionem turbat, sed dolores ipsius ventriculi saepissimè lenit. Calores quoque aestivi, sudore urgente actionem cordis promovent, atque consensum cum aliis partibus vitalibus impellunt fovere. In primis concipiendi stadiis, tantum tunica viscida et mucosa videtur cutis, sed ad tunicam translucidam vasa vehentem postea promovet. Crassitudine deinde, donec formam partu naturalem vindicaret, auget. In conditione mucosa de tela cellulosa, ac vasis penitus constat, deinde febris corii superadditis densior evadit. Color lividus post partum per sanguinem (sanguine arteriali tunc primum facto) mutatur in ru-

brum. Cutis ita vires ejus vitales hac re plurimum auget, atque contextus ejus, impressionibus rerum externè accipiendis magis est idoneus. Ita donec annos triginta nata, fibris magis rigidis densisque evadentibus, crassitudine auget. Tunc temporis sanguis cutem parcius perfluit. Rugae, multis sese tunc primum ostendentibus magis magisque abundant, tactus parciùs exercetur; atque senex, annis gravescentibus voluptatem rerum externarum contemnens animam efflat.

DE CONTEXTU EPIDERMOIDEO.

Dissimilitudinem hujus contextus ac praecedentis tum structura, tum compositione, tum officiis, tum functionibus, tum incremento penitùs diversis, observari parum desideratur. Epidermis exterior tunica est pellucida, crassitudine in partibus diversis variante, corpus ubique obtegit atque sese actioni rerum externarum offert. Ad eam aeque ac ad

cutem veram multis poris in obliquum penetrantibus, majoribus pilos, minoribus autem vasa exhalantia transmittentibus, quaedam inaequalitates pertinent. Sed memoriâ dignum est poros minores, sensibus nisi corpus sudare inciperet, guttulis humidis ibi loci formatis, haud esse percipiendos. Nec hos poros post mortem observare nostrum est. Sed cum a contextu dermoideo, maceratione in longum factâ separetur fila innumera et tenuia et mollia huc atque illuc transeuntia, vasa a quibusdam judicata, in conspectum veniunt. Morbi varii ejus adhaesiones quae corpore florente firmissimae sunt penitus perdunt. Eandem, quum squamas variis, eruptionibus longe lateque populantibus, haud raro decidat squamulis abundare quibusdam placuit. Et palmis et plantis pedum digitisque summis, crassitudine ejus multum auctâ eidem laminae sunt plures, sed in aliis unica tantum. Nec vasis, nec nervis, nec ulla aliis structuris adhaerente tenetur. Namque, nihil aliud nisi albumen coagulatum, ni fallor, reverà videtur. Vita ejus, ait Bichat vix ac ne vix quidem sit percipienda, et nec-

ne ei vera sit vita jure dubitetur. Me judice mere inorganica videtur, et a natura res inter externas corpusque vivum, in media posita. Neque dubitandum est quin per cutem veram deponatur, sed quomodo fit adhuc in caligine versatur. In foetu citius quam contextus alii sese patefacit, senectute autem urgente squamis est decidere proclivior; atque exindè et siccior et asperior evadere.

FINIS.